

id habere per hanc præscientiam boni usus liberi arbitrii sub conditione futuri, istam autem præscientiam habere pro ratione seu conditione sine qua non extitisset in Deo, bonum usum nostrum sic futurum, ex eo enim quod res est futura præscitur a Deo, non e contra.

XIX. Retuli hæc omnia fere ad pedem litteræ ut habentur in Molina, ut ex his liquido constare possit in quam magna inconuenientia ista media scientia deducit circa rationem prædestinationis diuinæ. Nam in primis illud magnum inconueniens quod apud Semipelagianos advertit S. Prosper, et de quo Augustinum consuluit, scilicet quod prædestinationem secundum præscientiam recipiebant, id est, supponendo aliquem bonum usum liberi arbitrii futurum etiam sub ipso gratiæ adiutorio, ob quem Deus alios eligeret præ aliis, non potest hæc scientia media omnino evitare, quantumcumque verbis id conetur Molina. Similiter neque aliud inconueniens vitat, quin potius admittit quod prædestinatio quæ est specialis providentia Dei, ut condistinguitur a providentia communi, per hoc solum redditur prædestinatio, id est, firma et specialis providentia, quod addatur ei illa scientia media. Et tertio, taxatur Augustinus quod non expresserit istam præscientiam ponendo illam prædestinationem, et si de illa fuisset consultus, eam non negaret, et interim sub ea quasi caligine ad hoc non attendisse.

Et ut ab hoc ultimo incipiamus, quis æquo animo ferat, aut acceptet scientiam seu inventum, quod non nisi caligante Augustini luce, apparere potest? Ergo et Ecclesia tota caligavit, et præsertim Ecclesia Romana, quæ per os summorum pontificum contestata est se in materia de gratia et prædestinatione sequi Augustini doctrinam, ut cons-

tat ex epistola Hormisdæ papæ ad Possessorem episcopum, et Joannis II ad Abienum senatorem. Nunc autem non doctrinam, sed caliginem Augustini Ecclesia sequitur, quam caliginem scilicet desseravit Molina hoc tempore. Sed ferenda sunt verba ista, et parcenda, nam Ecclesia ipsa adhuc non aufert, sed fert. In eo vero quasi sui immemor cecipitavit Molina, quia inquit non fore negaturum Augustinum hanc præscientiam et modum ponendi prædestinationem si consuleretur. Et vero paucis antea lineis citaverat ipse Molina S. Prosperum hanc ipsam prædestinationem secundum præscientiam consulentem in epistola ad Augustinum. Verba Molinæ sunt: « Inter alia quæ explananda ab Augustino efflagitat. Prosper ad eos qui turbati fuerant sedandos, atque ad sanam doctrinam reducendos, addit: Illud etiam qualiter diluatur quæsumus patienter nostram insipientiam ferendo demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par invenitur et una sententia, qua propositum et prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, et sub ipso gratiæ adiutorio in qua futurus esset voluntate et actione præviderit. » Ecce manifeste consultus fuit Augustinus a Prospero de illa præscientia secundum quam prædestinatio fieret habita ratione boni usus nostræ voluntatis cum adiutorio gratiæ, licet ipsi Semipelagiani manifeste errando dicerent etiam habere rationem motivi et causæ ob quam Deus prædestinaret; ut autem statim ostendimus idem est prædestinare Deum homines habita ratione boni usus, ac propter illum et pro qualitate illius, si quidem ferventius ac melius

utenti, plus gratiæ tribuit, minus autem non sic se disponenti. Sed quidquid sit de hoc, saltem potuit in illa consultatione videre Augustinus an præscientia illa boni usus conduceret ad prædestinationem, et tamen sic consultus eam non admisit, nec expressit, ergo falso dicit Molina, quod si fuisset consultus, continuo responderet prædestinationem non fieri sine illa præscientia, cum paulo ante posuerit Molina ipsam consultationem factam Augustino circa talem præscientiam, et tamen non continuo respondit per illam fieri prædestinationem, sed nihil tale respondit, nec locus Augustini in quo id responderit, assignabitur, sed oppositum ut articulo præcedenti vidimus. Caligat ergo Molina, non Augustinus.

XX. Quoad secundum inconueniens Molinæ, manifestum est ipsum vacuare propriam rationem prædestinationis, ut distinguitur a providentia communi, et in hoc manifeste convinci, quod prædestinationis ut prædestinatio specialis est, et ut distinguitur a communi providentia det causam ex parte nostra ipsum bonum usum liberi arbitrii. Patet hoc, nam ut providentia communis reddatur specialis, et constituatur prædestinatio, dicit Molina, nihil amplius requiri quam præscientiam illam boni usus futuri, hæc enim posita redditur infallibilis, et firma illa providentia et decretum Dei circa ipsum eventum, et consequenter est prædestinatio. Ergo ut prædestinatio sit, dependet a scientia media tamquam a ratione seu causa, aut conditione. Sed ipsa scientia media pendet a bono usu liberi arbitrii quem pro sua libertate posset non habere, quia id habet pro objecto, et si oppositum voluntas vellet scientia illa illum eventum non sciret, sed oppositum, et hoc expressis verbis docet Molina dis-

putatione illa prima, citata, membr. XI, conclusione VII, ubi docet: « Quod præscientiæ hujus datur conditio et ratio ex parte nostra, licet non detur ratio prædestinationis ex parte nostra: » ergo de primo ad ultimum Molina concedere tenetur rationem prædestinationis ut specialis providentia est ex parte nostra esse ipsum bonum usum sic prævisum, quantumcumque verbis negare velit, aut potius sibimet contradicere. Patet consequentia nam ut illa providentia reddatur prædestinatio debet constitui firma et certa et infallibilis circa ipsum eventum futurum, ergo id quod se habet ut ratio et conditio infallibilitatis, se habet ut ratio et causa prædestinationis ut specialis, sed tota ratio prædestinationis, et distinctio ejus a providentia communi est illa præscientia, ut dicit Molina conclusione VIII, in loco citato, inde enim habet totam infallibilitatem eventus, et tota ratio hujus præscientiæ est aliquid ex parte nostra, scilicet bonus usus liberi arbitrii ut dicitur conclusione septima. Ergo necessario fateri debet quod iste bonus usus est ratio prædestinationis, ut specialis prædestinatio est, et distincta a providentia communi. Sed quid moramur? Videatur Molina illo membro XI, §. Nos vero, ubi disertis verbis docet: « Quod sicut illa præscientia pendet tamquam a conditione sine qua non ex eo quod arbitrium creatum ita sit operaturum; ita etiam quod decretum illud providentiaque illa rationem prædestinationis fuerint sortita, ex eo fuisse dependens tamquam a conditione sine qua illa non sortirentur, quod arbitrium eo modo pro sua libertate esset operaturum. » Quid ergo adhuc egemus testibus? Ecce ratio seu conditio prædestinationis est bonus usus liberi arbitrii prævisi.

XXI. Præterea evacuat omnem

rationem specialis prædestinationis, quia totam infallibilitatem prædestinationis reducit ad præscientiam usus liberi arbitrii prævisi, nec specialiore providentiam et electionem in ordine gratiæ ponit pro prædestinatis, quam pro non prædestinatis, quod est absurdissimum. Quod totam infallibilitatem prædestinationis reducat ad præscientiam ipsa scientia media non invite fateatur, et habet expressis verbis Molina 1 part. quæst. xxiii, art. vi : « Manifestum est, inquit, prædestinationem est certam, in ea tamen non aliam esse certitudinem, quam certitudinem præscientiæ, qua Deus prævidet per media, per quæ unusquisque prædestinatus est, perventurum ad vitam æternam. » Legendus quoque loco citato art. iv et v, disp. 1, membro xi, conclus. viii et præsertim §. Nos vero, illis verbis : « Collocantes certitudinem totius prædestinationis divinæ non in decreto quo Deus ei quem prædestinabat, providere statuit de mediis, quibus libertate sua perventurus in vitam æternam prævidebatur, neque etiam in ratione ipsa providendi, sed in præscientia qua id prævidebat, ratione cujus tale decretum, et providentia sortita sunt rationem prædestinationis. » Nec potuit Molina aliud in sua sententia dicere, cum omnis certitudo, vel sit præscientiæ, vel causalitatis in Deo, ipse autem negat certitudinem eventus ex vi causalitatis : solum ergo ponit illam ex vi præscientiæ.

Huic autem sequelæ concessæ a Molina apponamus remedium ex verbis S. Thomæ tum 1 part. quæstion. xxiii, art. vi, tum præcipue in quæstione vi de veritate, art. iii, ubi ponderans difficultatem conciliandi libertatem nostram cum infallibilitate prædestinationis divinæ, sic ait : « Non enim potest dici, quod prædestinatio supra

certitudinem providentiæ nihil aliud addit nisi certitudinem præscientiæ, ut si dicatur quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut et quemlibet alium, ecce providentiam communem prædestinationis, et non sed cum hoc de prædestinato scit quod non deficiet a salute (ecce scientiam mediam boni usus futuri, ratione cujus dicitur providentia prædestinatio) : sic enim dicendo non diceretur prædestinatus differre a non prædestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte præscientiæ eventus, et sic præscientia esset causa prædestinationis, nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis, quod est contra auctoritatem Scripturæ et dicta sanctorum. Unde præter certitudinem præscientiæ, ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem. » Non ignoravit Molina hunc locum D. Thomæ quem sibi videbat vehementer esse contrarium, et illum sibi objecit prædicta disputatione 1, memb. xii, §. Quibusdam, et ad ipsum respondet §. Ut ad id. Et dicit primo, quod D. Thomas solum constituit differentiam inter providentiam communem et prædestinationem, quod providentia est indifferens ut finis sequatur, aut non, de ratione autem beatitudinis est ut ad beatitudinem prædestinatus deveniat; hanc tamen certitudinem esse ex præscientia qua Deus prævidet arbitrium cum posset deficere, non defecturum, quia licet cum hoc vel illo medio deficeret, tamen Deus tot media multiplicat, ut tandem videat non defecturum arbitrium. Secundo, dicit quod D. Thomas non constituit certitudinem in singulis effectibus seu partibus prædestinationis per comparisonem ad voluntatem Dei absolutam, sed in toto effectum prædestinationis in ordine ad consecutionem finis. Tertio, dicit quod si D. Thomas ut ejus verba re-

dolere videntur, constituit in prædestinatione præcessisse electionem quorundam in particulari absoluta voluntate, esse autem necessitatem non in singulis effectibus prædestinationis, sed in toto effectum, tunc sententiæ D. Thomæ non adhæret quoad primam partem, sed solum quoad id quod dicit nullum effectum prædestinationis esse certum per comparisonem ad absolutam electionem. Sed duæ primæ solutiones adversantur textui allato, quia prima solum ponit infallibilitatem prædestinationis ex præscientia mediorum, et liberi arbitrii. D. Thomas autem dicit quod præter certitudinem præscientiæ eventus, ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem : secunda vero ponit quidem certitudinem in tota collectione effectuum prædestinationis, sed non explicat quod sit certitudo ex parte ordinis prædestinationis, et præter præscientiam, quam tamen ponit S. Thomas. Et præterea incidit in idem inconveniens quod D. Thomas infert, nempe quod non esset prædestinatio per electionem prædestinantis, hoc enim eodem modo currit respectu cujuscumque effectus prædestinationis, est enim magnum inconveniens quod quilibet effectus prædestinationis non sit ex electione Dei, sic enim non esset ex speciali intentione, nec effectus proprius prædestinationis ut specialis providentia est, si autem est ex electione ejus, currit eodem modo ratio D. Thomæ respectu cujuslibet effectus, quod debet habere certitudinem ordinis, præter certitudinem præscientiæ. Quare sola tertia solutio quadrat Molina, nempe non tenere se D. Thomæ sententiam si docet, ut ejus verba sonant, quod prædestinatio habet certitudinem ex absoluta electione Dei, et non ex præscientia sola, manifeste enim S. Thomas ponit

dandam esse aliam infallibilem certitudinem præter certitudinem præscientiæ, non est autem alia quam independens, et anterior ad istam præscientiam. Et tamen S. Thomas docet esse contra auctoritatem Scripturæ et dicta sanctorum dicere prædestinationem non esse per electionem prædestinantis. Videat ergo Molina quam sententiam deserat, deserendo sic D. Thomam.

XXII. Quam sit autem absurdum dicere quod non requiratur specialior providentia pro prædestinatis, quam pro non prædestinatis, vel ex eo patet quod prædestinatis ad minus datur beneficium perseverandi, quod non datur non prædestinatis, hoc autem specialem gratiam requirere aperte docet Concilium Tridentinum session. vi, can. xxii : « Si quis dixerit justificatum vel sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit. » At vero in sententia Molina specialior gratia vel specialior providentia intra ordinem gratiæ non requiritur ad perseverandum, et ut aliquis prædestinatus sit. Nam cum eodem omnino auxilio collato ex providentia generali, per hoc solum quod iste prævideatur pro sua libertate bene usus, redditur prædestinatus, et perseverans, ergo ad perseverandum non est necessarium speciale auxilium, sed sufficit commune cum illa præscientia. Illa autem præscientia non ponit speciale auxilium gratiæ, quia non addit supra commune auxilium nisi tantum usum liberi arbitrii pro sua libertate in bonum, et hoc prævidet, ille autem bonus usus non est auxilium, nec pars auxilii, cum non se teneat ex parte Dei auxiliantis, sed sit actus hominis auxiliati, et sit ipsummet perseverare in effectum, non auxilium ad perseverandum : ergo prævidetur ipsum perseverare futurum in isto homine sine specia-

li auxilio, sed solum cum communi, id est, cum eodem quod datur non prædestinato ex communi, et generali providentia, quod est plane contra Concilium.

XXIII. Restat videre quomodo Molina solum verbis, non autem re poterit evitare quod prædestinatio non sit ex meritis boni usus, seu bonæ voluntatis futuræ sub ipso adjutorio Dei, seu posito auxilio Dei, quod est maximum absurdum. Nam Molina dicit Deum non pro qualitate aut propter qualitatem boni usus futuri aliquos prædestinasse, non tamen sine præscientia boni usus futuri, habitaque ratione illius. Docet etiam quod tota prædestinatio non est ex meritis, sed unus effectus est ex meritis alterius. Sed illud primum qui potest percipere? Si Deus habita ratione illius boni usus prædestinat, quomodo non pro qualitate illius prædestinat, et saltem occasione illius, licet non propter illum ut propter meritum rigorose sumptum, hoc enira etiam Cassianus non exigebat. Item si habita ratione illius Deus prædestinat: ergo quem videt perfectius et majori conatu bene usurum, ad majus præmium prædestinabit, et quem minori conatu prævidet, ad minus præmium prædestinat, hoc enim est habita ratione illius prædestinare. Ergo et pro qualitate illius; hoc enim est pro qualitate illius prædestinare, ut scilicet pro majori conatu ad majus præmium prædestinetur, pro minori ad minus. Unde loquens Molina de anima Christi, et Sanctissimæ Matris in illa disputatione 1, membro xi, §. Illud etiam, aperte docet eas prævisas melius, quam cæteras pro sua innata libertate usuris suo arbitrio, eoque ratione tantam dignitatem potius quam cæteras electas fuisse. Ecce ponit pro qualitate illius boni usus, scilicet quia melius quam cæteræ prævide-

bantur usuræ suo libero arbitrio electas fuisse illas animas in tantam dignitatem idque ex ratione dicit factum, id est, eam ob causam, id enim significat ly ea ratione. Et tamen Augustinus in libro de prædestinatione sanctorum, cap. xv, aperte docet nullibi melius clarere gratuitam prædestinationem, quam in prædestinatione Christi qua sublimatus est ad talem dignitatem: « Quod ejus bonum inquit, qualecumque præcessit. Quid egit ante qui credidit, quid petivit ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? » Idem est autem apud Augustinum præcedere merita, vel futura prævideri, ut intuitu illorum aliquid fiat. Et præsertim in Christo, si opera seu bonus usus prævidebantur, illa jam intelligebantur procedere a persona, ergo supponebat dignitatem hypostaticam, non ut ratio dandi illam accipiebatur.

XXIV. Denique, quid sit non dari prædestinationem pro qualitate sive ob qualitatem illius boni usus, Molina ipse explicavit dicto membro xi, §. Ut adhuc melius, ubi totam profunditatem, et abyssum prædestinationis divinæ ad hoc reducit, quod cum Deus infinitas noverit rationes et vias providendi prædestinatis quomodo pro sua libertate beatitudinem amitterent, et non prædestinatis, quomodo pervenirent ad vitam æternam, cum elegit modum quo prævidebat istos perventuros et non illos, et talis electio fuit pro libera sua voluntate tantum; non pro qualitate usus liberi arbitrii prævisi etiam ut conditione sine qua non. Similiter quod Deus providentia sua communi destinaverit hominibus dare gratiam, id quidem sub meritum cadere non potuit, nec habuit pro ratione et motivo bonum futurum. Cæterum quod prædestinatione speciali illos elegerit secundum quod prædestinatio a providentia commu-

ni distinguitur, id apud Molinam non potuit non habere causam et rationem in ipso bono usu nostræ libertatis præviso, quia ut supra ostendimus quod providentia sit prædestinatio, unice habet ex illa præscientia, utpote a qua tamquam a ratione habet infallibilitatem totam quam habet, si quidem non habet prædestinatio apud istos auctores nisi infallibilitatem præscientiæ, non causalitatis et ordinis: præscientia autem habet pro ratione et causa ipsum bonum usum futurum, si quidem ex eo quod futurum est Deus præscit, non quia præscit futurum est apud hos auctores, ergo prædestinatio in eo quod prædestinatio specialis, et ut distinguitur a providentia communi, et ut infallibilis, et certa providentia quoad eventum, est ex meritis et ex causa et ratione nostri boni usus futuri. Quod autem solum relinquatur Deo ut pro sua libertate faciat, et independenter a nostra voluntate, est quod eligat hunc ordinem rerum potius quam alium, in quo etiam Semipelagianos non constat cum catholicis certasse, quis enim potest negare quod hoc ad solum Deum pertineat, scilicet eligere ex infinitis rerum ordinibus, illum quem maluerit? Sed quod intra hunc ordinem rerum dependeat prædestinatio divina ut prædestinatio sit, ex bono usu nostræ libertatis non prælecto, sed solum præviso a Deo, nec ex speciali gratia orto, sed a libero arbitrio pro sua libertate ipsi communi gratiæ adjecto, hoc est in quo laboratur contra Semipelagianos, in quo ponitur prædestinatio, ut prædestinatio sit, et gratia (quæ est executio prædestinationis) ut specialis gratia sit, dependere a meritis voluntatis humanæ.

XXV. Quapropter in congregatione decima septima habita coram Clemente VIII, in materia de auxiliis, relata est, nec expuncta senten-

tia doctorum Lovaniensium, qui de ista sententia constituente prædestinationem secundum præscientiam dixerunt: « Sententia hæc Dei bonitatem obscurat, justitiam enervat, Scripturis illudet, patrum testimonia in alienis sensus detorquet, humanæ rationis corruptioni applaudit, humilitatis fundamentum evertit, precandi necessitatem non magnam relinquit, propriarum virium fiduciam ingenerat, in salutis negotio, quod præcipuum est homini donat, quod minus Deo, gratiam Dei libero subdit arbitrio, et ejus pedesquam facit. In summa, a Pelagio non satis procul abscedit, Lutheri vero, et Calvinii, et aliorum nostræ tempestatis hæreticorum, dum ab ea videri vult quam longissime recedere, potentiusque debellare, magis imprudens stabilit, atque confirmat. » Hæc illi. Nos verba referimus, non censuramus, nec ad censurandum referimus, nec censuram acceptamus.

XXVI. Neque possunt ab hac doctrina Molinæ recedere quotquot defensores sunt scientiæ mediæ, quia hæc sunt principia stabilita, et omnino essentialia pro scientia media, scilicet quod prædestinatio, et gratia specialis, sive efficax non habent aliam infallibilitatem quam præscientiæ, et quod præscientia sumitur a futuritione rei, non futurum a præscientia. Ex his enim principiis recte infertur, quod tota ratio prædestinationis ut sit prædestinatio, id est, specialis providentia, ex nobis sumatur, et ex nostro bono usu præviso ut ex causa et ratione. Unde etiam sequitur, quod saltem de se non repugnat, quod accipiatur ut meritum prævisum, si quidem accipitur ut ratio ipsius prædestinationis ad hoc ut specialis providentia sit. Et sic in hanc doctrinam Molinæ omnes defensores scientiæ mediæ debent convenire, licet non tam